

sine aculeis: quinque supino, binae pronò corpore, juxta branchias duae, totidem in medio ventre, quinta a postrema a Podice, longae omnes ac latae. Quae ad branchias sunt, triplici colore praeditae. Ubi enim longiores sunt, hoc est, in ipso exortu, albicant, mox totae rubent, exceptis nervis, qui nigricant, reliquae tres sicuti in exortu magis quam illae alben, ita quoque rubedo in his intensior est, nigredine vero plane carent. Priores quatuordecim nervis constant, subsequentes novem, novissimae decem: quae vero in medio fere dorso conspiciuntur, duodecim nervos habet, altera non longe a cauda, iis caret, mollis et cutacea, ut in Truttaceo genere: maleque ceu nervosa a Salviano expressa est: utraque dorso concolor, id est, nigricans. *Cauda* Lunata est, ejusdem coloris, non rubra, ut ille ait. *Podex* in imo ventre juxta exortum posterioris pinnae. A branchiis ad caudam linea exilis, recta ad caudam usque fertur asperiuscula. Latera nonnihil albicant, et nunc rotundis, nunc oblongis, iisdemque nunc majusculis, nunc exiguis maculis subfulvi colo-

ris consperguntur. Totus venter coloris ferme crocei, aut vulgaris minii. *Uterum* habet admodum procerum atque latissimum, utpote qui totam corporis capacitatem occupat, ovis refertus ejusdem fere magnitudinis, fulvis auroque resplendentibus, margaritas aureas diceret. Intestina alba, pluribus circumvolutionibus intorta. *Fecur* breve, latum, unico duntaxat lobo constans, flavescens. *Vesicam* fellis invenire non licuit. *Lien* majusculus ex atro rubens. *Ventriculus* longus et carnosus. Caro, ut in Salmone, rubra. Longitudo totius piscis a capitis initio ad caudae extremum, Spithamas binas explet. *Locum* si attendas, in lacubus Tridentinorum montium capi innuit. Salvianus in frigidissimis et saxosis fluminibus nasci prodidit. *Vescitur* pisciculis, et in horum defectu, recrementis. Quia singuli capiuntur, ideo solitarios esse concludimus. *Coit* in fine Novembris et Decembris. Piscis est, si quis alius delicatissimus. Caro ei tenera quidem, et quae brevi tempore putrescit, sed minime viscida, satisque friabilis.

TITVLVS III.

DE

PISCIBUS, QVI PRAETER FLUVIOS ALIAS QVOQVE
DVLCES AQVAS INCOLVNT.

CAPVT I.

De Perca Majore.

TAB. XXIII.

13. 14.

TAB. XXIV.

9.

Tantum de Piscibus Fluvialibus, tam squammosis quam laevibus sufficiat, sequuntur illi, qui praeter fluvios alias quoque aquas dulces incolunt: *Perca* nempe *Major*, *Perca fluviatilis minor*, *Scrollus*, *Pungitius Alberti*, *Alburnus Aufonii*, *Epelanus fluviatilis*. *Lucius*, *Cyprinus latus*, *Ballerus*, *Tinca*, et *Lota Gallorum*.

Aldrov. l. 5.

c. 33.

Bell. Ag. l. 1.

PERCA MAIOR, quae Germanis Baers et Bersich, corporis figura lata et compressa est: *rostro* prominenti non aliter quam marina, verum non adeo acuto: Ore etiam ut illa mediocri, imo pro corporis ratione parvo. Dentibus caret, sed labia habet denticulis horridula, ut Bellonius testatur.

Squammis tegitur parvis ac aridis, quae difficillime a corpore avelluntur, maximeque ancillis fastidio esse solent. Color ei varius, venter nempe; Corpus reliquum fere cineraceum; nigricantibus quibusdam ac latis maculis a dorso descendens (non aliter ac in marina) latera depingentibus. Pinnae ac cauda rubescunt. In foemina vel nihil, vel parum saltem. Pinnae in tergore duae, quarum quae capiti proxima, major est et aculeata, posterior minor sine aculeis: totidem ad Branchias, quas Rondeletius altiores esse putat, quam in reliquis fluviatilibus: totidem item in ventre: quae vero ab excrementorum est orificio, aculeo crenato